

uatur. Ita quod in ea re habet Romana Ecclesia, ab  
haereticis, non autem ab Apostolis accepit, ut alia  
multa. Quanquam non diffiteor etiam post Apo-  
stolorum ætatem, vunctionem in baptismo & clini-  
cis ægrotantibus à Patribus adhibitam fuisse. Sed  
id quām rectè & legitimè fieret, quæritur, quic-  
quid Sozom.lib.6.cap.29.scribat, & Manichei Chri-  
stianis obiecerunt quòd defunctorum umbras ri-  
tu & more paganorum vino & dapibus placarent,  
ut refert Augustinus libro 20. contra Faust. capite  
4. Heracleonis autem ratio hæc fuit, quòd ita vni-  
cti Christiani aëreas & inuisibiles potestates effu-  
giant, 5 Denique superstitiones Deo inuoca-  
tiones peregrinis exoticisque vocabulis faciūt, ma-  
ximè ad dæmones fugandos & arcendos utiles,  
quod etiam hodie Papistæ retinent. Illa autem vo-  
cabula sunt hæc, quæ Epiphanius commemorat  
lib.i. tom. 2. Messia, Vphara, Matsda, Melchona,  
Nossom, Idag, Ecpharon, Tsenoua, Iesu, Nazareni,  
id est, ut quidem coniicere potui (sunt enim hæc  
omnia partim Hebræa, partim Syriaca verba) Vn-  
ius & Radix, Turris, Rex, Spiritus, Sciens, discoo-  
periens, præcipiens, Iesus Nazarenus: quæ quanquā  
nihil nisi verum de Christo enuntient, quia tamen  
sine fide & verbo Dei fiunt, meritò & magicæ in-  
cantationes à patribus appellantur: & non preces,  
sed ut peccata grauissima esse censentur, & damna-  
ri debent.

## C A P. X V I I.

Ophitæ unde dicti, & eorum erroris caput duplex  
hic comprehensum.

i. iii.